



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiæ & Iuris Canonici Doctoris |||  
celeberrimi, ac Ecclesiæ Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt XXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

machinis & belli apparamentis, eum dicto deiecit pra-  
sidio, coegeritque terram linquere, & in exilio vitam fi-  
nire.

## CAP V T XXXV.

**C**imbriæ insulam, quam corruptè, alijs Fimbriam,  
alijs Imbriam nominant, antiquæ gentis nomen  
seruantem, varia tum fortuna iactabat. Rex tum il-  
lam ditione tenebat. Holsati recipere connisi, conuene-  
runt in villam proximam, tanto silentio, ut nihil inter-  
ra sentiretur: & mouentes in eam ante matutinam lu-  
cem, omnes in terram copias exposuere. Exorta luce,  
cum cernerent habitatores adesse hostes, sonare iubent  
campanas, & congregari populum, ut fidem regi im-  
pleant. Erat decimus sextus post mille quadringentos.  
Stetere in acie in aduersos. Sacerdos, qui diuinis in op-  
pido Borg præerat, medium se interposuit, si quo modo  
sanguinis effusionem possit euitare: Futuros spondet ha-  
bitatores quod cogerentur: Esse inermem populū, qui  
regi sacramenti vinculo esset obligatus: si arcis domini  
fierent, facturos se quod tenerentur, quodque fieri vi-  
derent de capite illis imposito. Arcem Glambeke miles  
Danus tenebat, qui tota nocte de naui commeatus & ar-  
ma arci induxit. Vnde factum est, ut suis rebus inten-  
tus, minus obseruaret, quid hostes molirentur. Sed dux  
& comes ambo Henrici, vallauerunt obsidione arcem:  
expugnaturi armis non facile, fame contenderant su-  
perare. Nauim semper ad manum habebat miles memo-  
ratus. Cumque octo septimanis continuata obsidione ni-  
bil ex Dania adueheretur, (erat enim media iam bru-  
ma) arcem fidelibus commendans, ipse nauigabat in  
Daniam, redibatque, commeatus & arma importatu-  
rus: sed fortius, ne inueheret, restitere Holsati. Factus  
est,



est, ut se dédere cogerentur, pacti vitam, qui tenuere.  
Recepta arce, sequuta est terra renouatis iuramentis in  
Holsatos, sex etiam marcharū millibus expromissis. Sed  
rex proximo reuersus anno, ferociissimè se vindicauit in  
gentem: Nullum discrimen in sacris & prophanis: Alta-  
riae uersa, ecclesia execrata, abductæ virgines & matro-  
nes: lachrymabilis virorū strages, quam etiam rex omni  
auro suo in oculis semper fertur habuisse, illachrymans  
quoties illius diei recordaretur.

## C A P V T   X X X V I .

**H**enricus comes Holsatiæ nouissimus, vir morbo  
arthritico factus ad armam utilis: Erat enim po-  
tager, ceterum consilio pollens, & qui pro nepotibus  
multa faciebat. Inter alios dilexit medium trium Adol-  
phum, quod prospiceret salutem patriæ, per illum pro-  
uenturam. Iam illum videndis alijs principibus & terris  
ablegauerat, & in Nurenbergam ad Burggrauium ius-  
fit abiire. Vbi autem Henricus se viribus defectum sensit,  
nisi qui illum reduceret: redeuntiq; arces Zegeborg  
& Rendesborg reddidit: nam frater senior ducatum ad-  
ministrabat. Declarauit iam in pueritia sua iste Adol-  
phus seueritatem futuram in virili. Regina Margareta  
parvulis ducibus monilia preparabat in pileis deferenda.  
Adolphus ex quo monile cōspexit, pileum recusauit: ma-  
nicæ eius iuñit assui: Sēpē manu ille insectatur aurum,  
impatientiam ostendens, cum muneris authorē non pro-  
baret: dorso mandauit affigi: Ille parietem dorso terens,  
monile confregit. Regina conspiciens adolescentulum,  
eius dona auersantem: Tu, inquit, si vixeris, hostis eris  
regnorum non vulgaris. Hic Henricus rebus per Holsa-  
tiā bene procuratis, multa in bellis cōsilio magis quam  
manu peregit: & in senecta, quam illi suis morbus pro-

C C C              perabat;

